



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

De examine Concionatorum, & sacræ scripturæ interpretum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](#)

postulateq; benedictionis testimonium fiet.

46. Populus, & Vniuersitas detrectans subministrare viatum, ut anteā consuevit, Concionatoris solitam vē eleemosynam ad eiusdem vitę tanquam sustentationem, omni iuris ratione, etiam interdicti pena ab Episcopo ad id compellatur. Vide etiam supra, num. 47.

4. De uerb.  
Dei pd. §.co.

*Quę hic defunt, videantur in Titulo. De predicat. verbi Dei.*

### De examine Concionatorum, & sacræ Scripturæ interpretum.

S V M M A R I V M .

*Examinatorum officium in Concionatoribus approbandis, quale.*

*Quę ad Sacr. ord. pert. 46.*

1 Concionatores, & sacræ Scripturæ interpretes, de quibus interrogādi. Sacré lectionis interpretandæ causa examinati, in librum à Cancellario notandi, an probati, reprobati, fuerint. De Cancellario. 30.

**A**M est locus examinis Concionatorū, & sacræ Scripturæ interpretum, à quibus hęc querātur. 5. Ibidem.  
 Primò de doctrinę articulis, dogmatibusve  
 Concilio Tridentino explicatis, vt potè de Ca-  
 nonē Scripturę; de peccato originali, de iusti-  
 ficatione, de Sacramentis, & generatim de sa-  
 crificio Missę, de Purgatorio, de Invocatione,  
 & veneratione Sanctorum, de Sacris reliquijs, de Imaginib⁹ Sancto-  
 rum, de Indulgentijs, potestate, & auctoritate Papę; de Ieiunijs, de die-  
 bus festis, & reliquis multis.  
 An præterea habeat reliquos Theologię notos, & tractatos locos.  
 Quem in Scholasticis præsertim auctorem familiarem habeat.  
 An sapientia Sacrorum Bibliorum volumina, cum glossa, aliove com-  
 mentario, studiosè euoluerit: anque in iis ipsis ita diligenter versatus,  
 vt inde locos facile, apteque promere possit ad omne sacrę tractatio-  
 nis genus.  
 An Sanctarum interpretationum usu literatè peritus.  
 An ex antecedentib⁹, & consequentibus verum Scripturę sensum eli-  
 cere norit: anque item ex Evangelistis, in eodem narrationis genere  
 versantibus.  
 An rursus temerè, pro suoque libito sacram Scripturam à vero sen-  
 su detorquat.  
 An tropologicos, moralesve sensus, cum litterali sensu non cohären-  
 tes, commentetur.

D 2 An

*Constitutionum, & Decretorum Synodalium*

An explicādis parabolis rectum, prēcipuumq; rerum sensum spe-  
ctet, prātermis tis explicationibus, quę nihil ad propositum faciunt.

An traditionum Apostolicarum, Ecclesiasticarumq; notitiā teneat.

An in Sanctorum Patrum scriptis, atque sermonib⁹ peritè ver-  
satus sit.

Quem item ē Patribus, maximè in concionando sequatur, atque  
imitetur.

An sacrorum temporum mysteria norit, an ve sacrorum Rituum si-  
gnificationes habeat.

An rerum in Ecclesia sancta gestarum, & Conciliorum præsertim,  
vniuersalium cognitionem teneat.

An Sanctorum vitas, historiamq; veram norit.

An congruam Canonum scientiam teneat.

An Summorum Pontificum iura, atque instituta sciat.

An Conciliorum, Provinciarum præsertim, & Diocesanorū de-  
cata in promptu habeat, vt in parochorum examine præscriptum est.

An casuum conscientiæ doctrina instructus sit.

An Theologię illius mysticę, quę tota in spiritualiuitate institutis  
tradendis, quęq; in purgandis affectibus, in reformationeq; interiori  
uersatur, præcepta, atque exercitationes bene horit.

An denique Sanctorum meditationum, orationisq; mentalis v-  
sum habeat.

An morum doctrinæ, Christianæq; discipline locos, non solum  
ordine collectos, sed recte notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, vel ad Dei  
amorem, vel ad cœlestis patrie desiderium, vel ad virtutum studium;  
vel ad detestationem scelerum, vel ad misericordiam, vel ad certas  
præterea affectiones, quę ad cœlum excitatę Christianas virtutes  
pariunt.

An apti denique sint, atque idonei ad concionem concipiendam,  
& explicandam, non solum Theologiae locorum tractatione, sed simi-  
litudinibus, quę ab agricultura, vinca, sermone, alijsq; rebus ducun-  
tur, quę sub sensum cadunt, atque intelligentiam, præfertiū corū etiam  
rūdium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingressum recte ratione, & ab ijs virtiis refugiat,  
quę plerique eo in genere admittunt.

An totam concionem recte ordineque disponat.

An dilucidè distincteque enarrat.

An bene pronunciet.

An illius verba pondus habeant, anq; uim item, ut non solum au-  
dientium aures attungant, sed animos intime penetrant.

An in

An in tota concione, pro cuiusq; rei, de qua agit, ratione, recte, apte,  
deore, & congruerter agat.

Quo in genere omni, & perquirendo, atque explorando, tum in alijs  
diligentius in dagandis, examinatores, prout occasio tulerit, quam dili-  
gentissime instructiones adhibebunt, que de Cōcionatoribus ad Pro-  
vincia vniuersitatem ex Concilij Provincialis auctoritate, iussu no-  
stro edite sunt.

### De cultu Sanctorum.

S V M M A R I V M .

1 Sancti Ambrosii festum celebrandum, commemorationis agenda.

2 Sancti Barnabe festum in Provincia colendum.

**D**E VOTIONE cōgrua, & debitibus honoribus  
beatus Christi Confessor Ambrosius Ep̄s, Sancte  
Ecclesie Metropolitanæ Mediolanensis pater pa-  
riter, ac patronus, cuius doctrina etiam totaliter  
illustratur Ecclesia, ut à Provincia nostræ fide-  
libus colatur; eius, & diem festum, qui septimo  
Idus Decembri agitur, sicut reliquos dies fe-  
stos, quos coli præceptum est, quotannis à clero, populoq; celebrari, &  
commemorationem de eo, quibus diebus ex Ritu Ecclesiæ ciuiusmodi  
commemorations fieri licet, in vespertino, matutinoq; que officio anti-  
phona, & oratione à clero fieri perpetuo, pro sua pietatis studio, Epi-  
scopi, omni etiam adhortatione current.

2 Deimunere, beneficioq; cum Ecclesia Mediolanensis prædicatio-  
ne Sanctissimi Apostoli Barnabe primum fidei mysterijs imbuta, tum  
alię pleręq; huius Provinciæ Ciuitates Euangeliū lumine illustratę, cau-  
sam oēm festi illius diei, præcipue colendi habent. Quamobré dies eius  
Natalis, qui est tertio Idus Junij, vt de more aliorum dierum festorum,  
qui à clero, populoq; ex præcepto coluntur, pie, & religiosè sanctificetur.  
Episcopus curet, ubi in sua Diœcesi non colattir, sanctificeturve.

Cetera ad cultum Sanctorum pertinentia, videantur in Titulo de fe-  
storum dierum cultu.

### De Sanctarum Reliquiarum veneratione, atq; custodia.

S V M M A R I V M .

I Reliquiae nouę ab Episcopo recognoscendę.

Eæ à Regularibus, & exemptis non proponenda; nisi etiam ab Epi-  
scopore cognite.

Quartū, de  
S. Ambrosio.

Sextum, de  
diebus festis.